



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

754. An, & qualiter, & cui restituendum pretium temporale receptum pro resignatione beneficii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tionem sive voluntate, ut nepoti meo detur, communior opinio est, non esse simoniam, quia nulla est conditio expressa vel tacita, ut meo nepoti conferatur. Subjungit tamen & ipse Castrop. *loc. cit. n. 4.* citans pro hoc Garc. *p. 11. c. 3. à n. 184.* Paris. *de confid. q. 26. n. 29. & 40.* Suar. *to. 5. de cens. d. 22. f. 6. n. 15. & 16.* esse probabilius resignantem eà intentione (intellige, ut expressè addit, manifestatà recipienti beneficium, cum absque eam manifestatone solum sit simonia mentalis, quæ panis ecclesiasticis non subjacet juxta *c. fin. de Simon.*) ut Resignatarius maneat obligatus resignare iterum in favorem sui, vel nepotis sui beneficium, vel pensionem solvere, committere hanc simoniam confidentialem, cum Pius V. expressè dicat: *si quis beneficium quaecumque ex resignatione cujuscunque simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam solâ dimittentis intentione* (intellige, non solum intendentis & sperantis, sed & obligare intendentis Resignatarii) *receperit, &c. hac confidentia censatur, & subdat: in quovis horum casuum confidentia pravitas sit contracta, licet ipsum confidentia crimen alterius tantum partis conscientia sit admissam.*

6. Respondeo quartò: quod in hac simonia rationem pretii habere, aut loco pretii intervenire potest, est, ut idem beneficium resignatur, conferatur, &c. renuncianti, conferenti, instituenti, &c. vel alteri reddendum sit, aut pensio, aut pars fructuum præstanda. Ita ut, si de aliis rebus, etiam merè temporalibus, aut spiritualibus reddendis, cedendis, etiam cum certa confidentia & facto conventio fiat, v.g. de resignando alio beneficio, de pensione ex alio beneficio, præstanda, sive dando alio temporali, aut spirituali, non committatur confidentialis simonia, sed simonia communis, Pirh. *loc. cit.* Ac proinde jam non nisi quinque modis committitur per dictas actiones hac simonia, nempe paciscendo de reservatione fructuum, de præstanda pensione, de reservatione accessus (dum v.g. resignans cupiens obvenire beneficium suum Titio; quia tamen is obætatem incapax illius est, resignat illud Cajo eà lege, ut cessante impedimento illud obtineat, seu ad illud accedat Titius) regressus, (dum beneficium à se possessum resignat quis Titio, eà lege, ut hoc Resignatario præmoriante, vel eo cedente resignans jus pristinum in eo recipiat) ingressus, dum quis beneficium sibi collatum, & à se acceptum, nondum autem possessum, resignat eà lege, ut Resignatario præmoriante vel cedente, resignans illius possessionem ingredi valeat: dum nimirum hæc omnia fiunt sine expressa Papæ licentia. Pirh. *loc. cit. n. 11. 4.* Porro, cum Pius V. in Bulla sua loquens de beneficio ipso, dicat, sufficere ad hanc simoniam incurrendam, ut tibi, vel alii jus recuperandi reserves: loquens verò de pensione, aut fructibus beneficii, dicat, esse simoniam confidentialem, si beneficii fructus, aut eorum partem alii, vel aliis reserves, hinc, inquam, simoniam confidentialem non esse, si resignans vel collator sibi reserve dictos fructus, aut pensionem, secus, si alteri, censent Nav. *conf. 33. n. 4. & conf. 76. n. 6. de Simon.* Ugoi, *Tab. 1. c. 22. §. 1. n. 8.* Menoch. *de arb. centur. 6. casu 566. n. 8.* citati à Castrop. *loc. cit. n. 5.* Item tene: Lessius *loc. cit. n. 97.* et si dicat, oppositum esse valde quoque probabile. Hoc ipsum oppositum tanquam probabilis tueretur Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans pro se Suar. ubi supra *n. 7.* Garciam *p. 11. c. 3. n. 194.* De panis, & probatione hujus simoniæ confidentialis, uti & simoniæ

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

communis, fusè dictum supra, ubi de vacatione seu privatione beneficii hinc orta.

*Quæstio 754. An, & qualiter simonia commissa in resignatione præjudicet resignanti: aut etiam commissa ab uno ex transigentibus noceat alteri eam ignorantii?*

1. Respondeo ad primum: resignatio simoniacè facta tenet in præjudicium resignantis, & consequenter et si ipso jure nulla, abdicatur tamen per eam, vel potius amittitur jus à resignante, nec datur illi regressus, sed beneficium tanquam vacans à tertio impetrari potest. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 7. n. 12. & 13.* citans Boerium *de off. 117. n. 4. & c.* Contra Rebut. in *pr. p. 3. c. 1. de mod. amit. benef. n. 35. & 36.*

2. Respondeo ad secundum: simonia commissa ab uno ex transigentibus, alteri, vel aliis, qui non deliquerunt, nocere nequit. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 39. n. 3.* juxta *c. sicut. de Simon.*

*Quæstio 755. An, & qualiter, & cui restituumdum pretium temporalis, receptum pro resignatione beneficii.*

1. Respondeo primo: Temporale quid acceptum pro conferendo (idem est de resignando, præstando, eligendo, confirmando &c.) beneficio, seu alio quovis spirituali, non securà collatione, resignatione, &c. beneficii, jure naturæ restituendum ait ei, à quo acceptum, quia deest titulus illud retinendi, dum id, pro quo datum, non præstat; & nullo jure cavetur, id alteri reddi, aut in alios usus convertendum. Less. *de just. l. 2. c. 35. n. 170.* citans Sor. *de just. l. 9. q. 8. a. 1.* Cajetan. in *sum. v. simonia. c. 3.* Castrop. *de Simon. d. 3. p. 26. n. 3.* citans insuper Suar. *l. 4. de Simon. c. 59. n. 2.* contra Covar. apud Less. quatenus is vult restituendum in usus pios. Non potest tamen à dante repeti propter turpitudinem admissam. Castrop. *loc. cit.* citans Covar. *ad regulam peccatum. p. 2. §. 2. n. 7.* quem Lessius ait, probare solum, non posse illud repeti in foro externo.

2. Respondeo secundò: Qui recepit pretium temporale pro resignatione beneficii subsecurà resignatione, & vi illius obtento beneficio, & sic completà utrimque simonià, non tenetur jure naturali, aut divino ad restitutionem dicti pretii temporalis. Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 10. c. ult.* Pirh. *ad tit. de Simon. n. 178.* Less. *loc. cit. n. 158.* citantes Suar. *l. 4. de Simon. c. 59. n. 35. & 37.* & loquentes expressè de venditione, quæ quis venderet & extraderet beneficium Ecclesiasticum. Ratio est, quòd, qui pretium accipit pro re spirituali simoniacè quidem, sed non injustè, seu non peccando contra justitiam, non tenetur ad restitutionem jure naturali aut divino; cum onus restituendi ex jure naturali non fundetur nisi in læsa justitia commutativa, seu læso jure stricto alterius. Sed qui vendit rem suam spiritualem habentem annexum commodum temporale, adeoque qui resignat pro pretio, seu vendit beneficium suum, seu in quo jus habebat, nullam committit injustitiam, siquidem dimissio commoditatis illius temporalis percipiendi fructus, quæ se talis vendens, seu resignans privat in gratiam alterius, pretio justo æstimabilis & compensabilis est; cum nemo in Titium jus habeat, ut teneatur damna gratis subire, Titius resignans non facit Cajo resignatario injuriam exigendo compensationem,

I i

et si